

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> ACADEMICA,

# CONCILIUM HIEROSOLYMI- TANUM

Ex Actor. XV. breviter considerans,

Quam

Divina adipirante gratia,

Consentiente Ampl. Facult. Philos. in Reg. ad auram  
Academia,

PRÆSIDE

# HENRICO HASSEL

Eloquent. Professore Reg. & Ord.

Fac. Phil. h. t. Decano,

Publico candidorum examini, quæ decet modestia,  
submittere sibi proposuit

NICOLAUS URSINUS  
*WIBURGENSIS.*

Ad diem XXII. Novemb. An. MDCCXL.  
horis locoqve adseretis.

ABOM<sup>E</sup>, excud. Joh. Kiæmpe, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:tis  
Magnæ Fidei VIRO  
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO

# DN. DANIELI JUSLENIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI longe Celeberrimo, in-  
elitæ Diœcœtos Borgoensis EPISCOPO eminentissi-  
mo, Senatus Ecclesiastici ibidem PRÆSIDI gravissi-  
mo, Regii Gymnasii Scholarumqve EPHORO ma-  
magnificentissimo,  
MÆCENATI MAXIMO.

**D**IU. SAT. PATER. REVERENDISSIME. Dubius. Fueram.  
Consilii. Num. Primitias. Hasce. Juventutis. Nullo. Pro-  
fus. Splendore. Preditas. NOMINI TUI. Celebratissimo. Con-  
secreare. Audentes. Favor. Tamen. Ac. Gratia. Singularis. Qua-  
Me. Resque. Meas. Afflictas. Null. Non. Tempore. Prosequi.  
Haud. Dignatus. Es. Confidentiam. Animo. Addidit. Ac.  
Spem. Ne. TIBI. PRÆSUL. REVERENDISSIME. Quo  
Ad. Pedes. TUOS. Depono. Munu- sculum. Displiceat.  
Et. Ne. Gratiam. Tuam. In. Posterum. Quoque. Fru-  
stra. Ambire. Patiaris. Humillimus. Rogo. Ego. Dum  
In. Hac. Vita. Superstes. Fueru. Summum Numeru. Calidis-  
mis. Invocare. Precibus. Non. Desistam. Velit. IE. In. Tho-  
rum. Gaudium. Ac. Solatium. Dulcissimum. Rei. Literarie.  
Decus. Ac. Emolumentum. Ampissimum. Nostreque Diœcœ-  
tos. Futrum. Firmissimum. In. Nestorem. Senectam. Sal-  
vum. Incolumem. Feicemque. Servare!

NOMINIS TUI REVERENDISSIMI

Cliens devotissimus  
NICOLAUS URSINUS

Denen Wohlgebohrnen Herren /  
Hrn. CARL H. SPRENGTPORT,  
Und  
Hrn. MAGN. W. SPRENGTPORT  
Gebrüder beiderseits/ wohlbestalten Majoren bei Seiner  
Königl. Maj:t Nylands und Taraflebus Regemente Tra-  
jokers, Meinen Hoch-günstigen Herren und  
Beforderern.

**H**er tapfers HELDEN PAUD! die IHR in vor'ge-  
zeiten,  
In CAROLS schwere krieg geSPRENGE mann-  
ge VDRE;  
Gesolgt, wohin der LWB EUCH freudig wollen leisten,

Das EURIGE getahn für manngen festen ort;  
Verzeihet, das ich mich getrost darf unterwinden,  
Dey EUCH ein mucht'ges Herz und wiken zu verbinden.  
Ich hab, HOCHWEHREDE, sehr viele gunst genoschen,

Bon EUCH und EUREN Hauf, die wirkt erkentlichkeit;  
Woraus mit allem recht vernunft gemäß geschlossen

Das in gelahrheit IHR nebst Waffen Meister seit,  
Und das man EUCH mit fug kan Mæcenager nennen,  
Die eben wie den krieg auch wissenschaften kennen.  
Ich ließwe EUCH demnach die Erstling meines fleikes,

Zugleich die erste frucht von meiner wissenschaft,  
Nemt solche gnädig auf als zeugen meines schweißes;

Ist gleich die gab nicht groß, so krigt sie doch viel kraft,  
Bon EUREN gut'gen blick, der kan geringe sachen,  
Durch EUCH gnädig seyn, hoch und erhaben macken.

Der HOCHSEDE sey mit EUCH auf allen EUREN wegen,  
Bergelte EURIGE gut in zeit und ewigkeit,

Auch wenn ein unglück's fall woll einen sturm erheben,  
So sey DERSE BE stets zu EUREN schuz bereit;

Gedencket aber auch an einem truen knechte,  
Der nun und jederzeit sich nennt mit allem rechte.

Ewr. Wohlgeb  
Demüthigster und gehorsamster dienes  
NICOLAUS UR SINUS.

PIERO Admod. Rev. atque Amplissimo,  
Mag. GEORGIO HELSINGIO,  
Diœceseos Borgoensis Archipræposito longe meritis-  
imo, Templi Cathedralis Antistiti vigilantissimo,  
Synedrii Ecclesiastici Pro Praesidi gravissimo,  
MÆCENATI OPTIMO.

Admod. Rev. atque Praclarissimo Dn.  
Mag. HENRICO HELSINGIO,  
Pastori & Præposito in Idensallini adcuratissimo,  
ut antea Præceptorи fidelissimo, ita jam Patrono ad  
cineres usqve colendo.

*Spectatissime*

Dn. MARQVARDE  
Senatori Urbis Borgoensis æquissimo,

**J**lluxit tandem dies diu desideratissimus, quo pium erga  
fætum, publico quodam testimoniō declarare permittatur.  
paterna estimari debeant, nec exsolvendis isdein unquam  
ceram venerationem testarer, ingratî animi eutpam utique  
toresque optimi serena fronte, & excipite benignè, pri-  
aura, fructus aliquos maturiores offerre licet. Interim, ut  
bi bene diuque laboribus bissec terrenis, aeterna Vosheet fe-

Admod. Rev. Praclariss.

*Cultor ab.*  
**NICOLAUS**

Admod. Rev. atque Preclarissimo Dn.  
Mag. JOHANNI NYLANDRO,  
Pastori & Præposito in Lappträff meritissimo, S.  
Theol. Lect. & Confess. Borg. Adlessori sollertissimo,  
PATRONO MAGNO.

Spectatissimo FIRO,  
Dn. ESAIÆ WECHTER,  
Officin. Manuar. ad Aboam Directori prudentissi-  
mo Nutritio atque Fautori suo, singulare obser-  
vantia perpetim honorando.  
FIRO,  
LANGHAAR,  
Fautori multis nominibus devenerando;

Vos Mœcetas, Patroni Fautoresque optimi, animi af-  
Tantis quidem tamque variis me afflicctis beneficiis, ut cœ-  
par esse quem; quamobrem nisi, oblata hac occasione, fin-  
non evitarem. Adspicite itaque Mœcenas, Patroni Fau-  
toris hunc gratissime mentis florem, donec leniori adspirante  
D. O. M. omnigena cum temporali tum imprimis, exanta-  
bilitate, nunquam non vorvebo! Ero dum puxero,

Spectatiss. Nom. Vestrorum.

Servantissimus  
URSINUS.

## CONSPECTUS.

- §. I. Quid per concilia intelligamus, describit.
- §. II. Eorum origo unde repetatur, disquirit.
- §. III. Naturam & usum conciliorum exponit.
- §. IV. Concilium Hierosolymitanum omnium primorum & unicum tempore Apostolorum fuisse evincit.
- §. V. De tempore concilii hujus agit.
- §. VI. Occasione ejus, quae eam sequuntur tradit.
- §. VII. Quid in concilio actum sit ordine narrat.
- §. VIII. Quisnam Concilio hocce praesidis munere functus sit, indicat, sermonemque Petri expendit.
- §. IX. Sententiam Jacobis definitivam, seu decreta concilii Hierosolymitani considerat.
- §. X. De epistola illa synoica ad Ecclesiam Antiochenam commemorat, finemque tractationis sua imponit.

I. N. 7.

§. I.

**A**Nequam, ad ipsam argumenti nostri tractationem nosmet proprius accingimus, haud abs re esse videtur, pauca in antecellum de conciliis in genere attingere. Atque imprimis observandum nobis est, non quemlibet conventum, in quo negotia Ecclesiastica tractantur, hocce nomen promereri, nec concilia esse corpora quædam perpetua, quibus regimen Ecclesiæ sit commissum; sed concilia, secundum receptum loquendi modum, nihil aliud sunt, quam conventus extraordinarii, ex viris ab Ecclesia electis constantes, ad doctrinam publicam determinandam, vel emendandam aut conservandam disciplinam Ecclesiasticam. Quæ, scilicet concilia, si rite considerantur, non possunt non manifesto esse indicio, in Ecclesia unum aliquem non dari, qui sit infallibilis controversiarum judex. Nam cui usui illa ab antiquissimis jam Ecclesiæ temporibus suffit frequentata, quidve fuisset necessarium tot viros in unum locum congregare.

411.1.

A

asinos illi mand

gare, si penes unum hominem reperiretur fallere  
aetia omnium ejusmodi rerum decisio, &, quod  
magis est, si conciliorum decreta ab illius dunta-  
xat confirmatione valorem nanciserentur.

## §. II.

**O**riginem conciliorum ex mutua veterū Christi-  
anorum confederatione recte omnino repetit  
Vir illustris Justus Henningus Boehmerus. Quem-  
admodum enim Ecclesia qva talis nullum habet  
imperium; ita per se evidens est, quidquid in illa  
publice suscipitur per agiteturque, id ex mutua mem-  
brorum ejus conventione fieri. In veteri Ecclesia  
Christianā nemo docentium aliquid imperii in au-  
ditores sibi arrogabat. Imperantes vero Ecclesiae  
addicti non erant, adeoque nec ejus negotia cura-  
re potuerunt. Aliud itaque non superfuit, quam  
ut Christiani ejus aetatis de conveniendo in unum,  
congressuumque loco ac tempore aliisque circum-  
stantiis se mutua conventione unirent. Ex quo  
autem imperantes facti sunt Christiani, ius con-  
vocandi concilia illis recte omnino accessit. Quidam  
enim res Ecclesiae magnum praebant influxum in  
temporalem, ejusque referat, tantus hominum nu-  
merus quantum concilio constituendo sufficit, an,  
quando & ubi conveniat, conciliumque ipsum ab  
imperio securitatem habeat, sequitur ad concilium  
convocationem non solum necessarium esse consen-  
sum Imperantis, in ejus territorio habendum est,  
sed id convenientissime ab ipso convocari, prout  
olim, papismo nondum ad fastigium perducto. fa-  
cilius esse constat.

## §. III.

## §. III.

**N**aturam & usum conciliorum exposituris tra-  
primis animadvertendum est, viros, ex quibus  
concilium constat, non posse considerari ceu mem-  
bra senatus cuiusdam, in quo maior pars suffra-  
gios suis rem propositam ita decidere possit, ne  
dissentientes ad recipienda ejus decreta cogantur.  
**N**am veritas non semper est penes maiorem suffra-  
ganum partem. Et concilia aliquando errasse i-  
psi patentur Pontifici. Quare neque concedimus  
potestatem aliquam legislatoriam conciliis compete-  
re circa res disciplinam Ecclesiasticam concernen-  
tes. Disciplina enim in doctrina fundamentum ha-  
bet, adeoque non magis quam illa invitis obrudi  
potest. Verum qui in Concilio adjunt non alio  
modo ibidem spectari possunt, quam deputati Ec-  
clesiarum ad examinandas componendasque con-  
troversias, earumque decisionem e sacris paginis  
eruendam; ad quam decisionem amplectendam Ec-  
clesiae eatenus obligantur, quatenus Sacrae Scriptu-  
rae eam conformem esse deprehenderint. Nam si  
eri potest, ut ejuscemodi lites & controversiae pri-  
mo quidem intuitu difficiles atque obscurae vide-  
antur, quae tamen deinde, rationibus in utramque  
partem ritè excussis, luce meridiana cliores eva-  
dant. Verum ut dicamus quod res est, experien-  
tia plurium seculorum docuit, homines tententiae  
semel fulceptæ adeo extitisse tenaces, ut per di-  
sputationes in conciliis institutas paucissimi inde  
dimoveri potuerint; spe unionis hac via obtun-  
das

<sup>4</sup> dæ in irritum cadente. Qvin potius per ejuscemo-  
di litigationes major animorum exacerbatio & per-  
vicacia prodiit. Unde viri prudentes omnem co-  
natum dissentientes in religione conciliorum  
admiriculo conciliandi vanum & laatorium æ-  
stimarunt. Sed posito, controversias in conciliis  
jam sospiri non posse, remanet nihilominus ille Con-  
ciliorum usus, qvod sic optime constare queat,  
qvinam ejusdem sint sententiæ, adeoque sacrorum  
communione uniri possint. Pari modo Symbolo-  
rum sive confessionum publicarum patet moralitas.  
Hæ namque nihil aliud sunt quam declarationes  
qvædam Iolennes doctrinæ & fidei. Qvin autem  
cuilibet liceat publice indicare qvid de Deo rebus-  
que divinis credat, qvis negaverit?

#### § IV.

**P**ostquam nonnulla in genere de conciliis expla-  
navimus, ulterius pedem promovendo, concilium Hierosolymitanum, de quo heic præcipue a-  
gendum est, omnium N. T. primum, & qvidem  
unicum tempore Apostolorum fuisse evincemus. Sunt  
qvidem nonnulli, qui in conventu Mariæ Elisabe-  
thæ & Zachariae Lucæ 1: 39 se concilium qvod-  
dam invenisse sibi persuadent. Quidam vero Matth.  
XVI. 14. seqq. Marc. VIII. 27. seqq & Luc. IX. 19.  
seqq. conciliū cujusdam mentionem fieri contendunt,  
qvandoqvidem ibidem duo qvoque facta sint decre-  
ta, unum à Perro de orthodoxa fide, alterum à  
Salvatore nostro de fundamento Ecclesiæ. Non-  
nulli qvoque existimant duo alia Hierosolymæ ab  
Apo-

§

Apostolis habita fuisse concilia, unum cum Mat-  
thias in locum Judæ proditoris Apostolus consti-  
tueretur, alterum cum septem diaconi eligeren-  
tur. Ast si qvis hæc omnia rite pensare volue-  
rit, facile intelliget, nulli horum congressuum  
reqvista conciliis convenire. Nonnulli quoque  
Patrum, aliique cum illis, concilii ejusdam  
ab Apostolis Hierosolymæ celebrati faciunt men-  
tionem. Scilicet anteqvam Apostoli in diversas  
mundi partes digrederentur, eos convenisse, atque  
symbolum illud, quod hodie apostolicum nuncupa-  
tur, composuisse dicunt. Verum, qui hanc foyent  
opinionem, nullo eam idoneo satis testimonio ad-  
struere valent. Nec mihi persuaderi patior, Lucam  
inter cætera Apostolorum acta rem tanti momenti  
præteritum fuisse. Et licet symbolum illud, quod  
vocant apostolicum, sit compendium quoddam  
Christianæ fidei, licet non omnino perfectum, &  
quæ eodem continentur in S. S. exactissime sine  
fundata; tamen dudum rationibus probatum est lu-  
culentissimis, quod cum symbolum hoc, tum  
canones illi, quos itidem nuncupant apostolicos,  
minus recte Apostolis tribuantur. Hinc itaque con-  
ficitur, quidquid de cæteris Apostolorum conciliis  
dicatur, id sponte sua corruere; concilium autem  
Hierosolymitanum, non solum primum; verum  
etiam unicum existuisse, quod Apostolorum tempo-  
re celebratum sit.

§. V.

**L**icet difficile admodum sit certum tempus con-  
ciliij hujus determinare, de quo Auctores in  
dive-

diversas adeo abeunt sententias; eum tamen ipse Apostolus Paulus viam hic monstravit, eum sequemur ducero. In epistola ad Galatas C. II, 1. ait;  
*Deinde post annos quatuordecim, iteram descendit Hierosolymam cum Barnaba.* Qvod Apostolus hisce verbis inter illud, quo ad concilium Hierosolymitanum profectus est, intellexerit, si non omnes, saltem plerique, ut Epiphanius, Hieronymus & alii Ecclesiastici scriptores non pauci pro rato habent. Quare itaque heic merito potest, qvisnam sit terminus à quo quatvordecim hi anni numerandi sint. Idem Apostolus Cap. I: 18. ejusdem epistolæ narrat: *se post tres à conversione sua annos accessisse Hierosolymam ad vindendum Petrum.* Unde nonnulli opinantur, annos illos quatvordecim cum fine horum trium esse connectendos. Verum non crediderim Apostolum heic ista connexione chronologica usum fuisse. Idcirco eorum sententia veritati magis conveniens esse videtur, qui cum quatvordecim istos Cap. II: 1. tum tres annos Cap. I: 18. à conversione ipsius numerandos esse censem. Qvippe si conversionem hanc prorsus miraculosam memoriaque dignissimam, quam illico munus apostolicum excepit, & quanta mutatio status ipsius contigerat, penitus consideramus, vero simile est, eum à tempore, quo facta fuerat, in rebus ad se spectantibus hanc chronologiam sequutum fuisse. Conversio autem hæc, secundum sententiam plurimorum incidit in annum Salvatoris nostri XXXV. unde, additis quatuordecim hisce annis, sequitur concilium Hierosolyma-

7

solymitanum Anno Christi XLIX. celebratum fu-  
isse.

§. VI.

**O**VÆ vero causa sive occasio concilii hujus fuerit, Lucas ita narrat: *Et quidam descendentes de Iudea docebant fratres: Nisi circumcidemini secundum morem vel ritum Mosis, non potestis salvati.* Verum quinam isti fuerint, qui ex Iudea Antiochiam protecti fuerant, ibidemque ejuscemodi tradiderant doctrinam, Scrip-  
tor Sacer haud determinat. Interim tamen, quod  
schola Pharisæorum fuerint, ex versu §. colligi  
potest, quippe, quos legis Mosaicæ rituumque &  
cæremoniarum in illa præceptarum tenacissimos fu-  
isse, satis superque constet. De cætero cum ex  
Iudea, qui Ecclesiam Antiochenam turbabant, de-  
scendentes dicuntur, non negari potest, quin ex mem-  
bris istius Ecclesiae fuerint, cui, ut matri cætera-  
rum Ecclesiarum, insignis præ reliquis erat aucto-  
ritas; unde quoque istos homines ejuscemodi quid  
sibi arrogasse, vero admodum simile est. Cumque  
fides universi cultus Mosaicæ ipsiusque templum  
Hierosolymæ fuerit, mirum utique non est, ibidein  
quoque rituum Mosaicorum plurimos fuisse obser-  
vantissimos. Ipsam autem hominum istorum op-  
inionem sive dogma, Lucas verbis hisce significat:  
*εὰν ἦν παρεπιδιώτη τῷ ἀδελφῷ μωυσέῳ ( ritu vel more Mo-  
saico ) οὐ δύναται σωθῆναι.* Hie fons inquit Sam. Bas.  
nagius, hoc principium fuit iurgia, in quod conjecta est  
Ecclesia: descendentes quidam ex Iudea, quos non turba  
disquisit, sed inflameravit ad unum propositam circumcisio-

**S**uis amor. Dubium quoddam heic oriri posse vide-  
tur, quo jure nimirum circumcisio a lege Mosa-  
ica derivetur, dum dicunt, more Mosaico; cum ta-  
men illam, ab Abrahamo, non vero a Mole or-  
tum duxisse, manifestum sit. Ast licet Abrahamus  
circumcisitionem a Deo primus acceperit, primus  
quovque, ut obedientiam Deo praestaret, circumci-  
sus tueris; tamen Moses modo singulari & legis-  
latoria auctoritate eandem Israelitis injunxit; ut ad-  
eo hoc respectu recte pro more Mosaico reputari  
queat. Qvod ad ipsam attinet rem, observandum  
est, turbatores istos dum de circumcisione loquuti  
sunt, universæ simul legis Molaicæ caussam agere  
voluisse, qvod itidem ex versu 5, ubi περιτεμνων  
εφγελλειν τη τησιν τὸν νόμον μωυσέως conjunguntur; fa-  
tis liquet. Quid vero deinde Antiochiæ factum sit  
Lucas porro ita exprimit: γενομένης δὲ τάσσως καὶ οὐ-  
ζηπίσθως οὐκ ὀλίγης τῷ Καύλῳ καὶ τῷ Βαρναβᾷ πρέστη αὐτάς.  
Heic iterum notandum est, sicut sive seditionem  
Paulo & Barnabæ non esse tribuendum, ut Hugo  
Grotius ad h. l. recte monet. Sensus quippe hic  
est, Paulo & Barnabæ necessitatem fuisse allatam,  
iis, qui statuebant, nisi more Molaico circumcide-  
rentur, non posse salvos fieri, contradicendi, qvod  
cum accidebat, non potuit non, inter eos, qui  
partes Pauli & Barnabæ tuebantur, eosque, qui  
secus sentiebant, sicut sive sedito exoriri: Cum i-  
taque haec gerebantur, επειζαν statuebant, ut Paulus  
& Barnabas & quidam alii ex illis adscenderent Hiero-  
nymam ad Apostolos & Presbyteros super hac questione.

Non

Non dubitandum est, qvin in Paulo & Barnaba sag-  
facultatis divinæqve doctrinæ ad redarguendum  
huncce errorem fuerit, qvod etiam haud obscure  
ex v. 2. colligi potest, eos puta sat rationum  
adversariis opposuisse, qvas cum hi convellere haud  
potuere, ad auctoritatem Ecclesiæ Hierosolymita-  
næ provocarunt, velut ex qva religio Christiana  
in reliquum orbem promanavit, & ubi applausum  
assertioni suæ sperarunt ab iis, qvi ægre abolitione-  
nem synagogæ terebant. Sicuti & plurimos ibi-  
dem assertioni isti adstipulatos fuisse è v. sæpe  
alatio Y:to constat. Missi ergo sunt Paulus &  
Barnabas ~~καὶ τοις ἄλλοις οὐτων~~, non ad solum Pe-  
trum, ut Pontificii volunt, nec ad solos Aposto-  
los, sed & Presbyteros: unde patet Presbyterorum  
non minus quam Apostolorum fuisse ~~τοῖς γενία-  
τοις τοῖς~~ sententiam ferre. Illi vero, qvi cum  
Paulo & Barnaba Hierosolymam se contulerunt,  
haud dubie adversarii eorum fuere. Ipsi namque  
æquitati conveniens erat, ut ex utraque parte ad-  
essent, qvi qvæ rei suæ conducere credebant, pro-  
ponerent.

### §. VII.

Cum itaque deputati hi Hierosolymam pervenis-  
sent, congregati sunt non tantum Apostoli &  
Presbyteri ~~ιδειν τοῖς λόγοις τοῖς~~, ut Lucas dilerte in  
v. 6. dicit; verum qvod tota etiam Ecclesia, sal-  
tem insignis ejus pars, adfuerit, è v. 12. pa-  
tet. Admittebatur quoque adversa pars, cujus ra-  
tiones audiebantur, & super qvibus multa ~~συζητήσαν~~

seu disceptatio instituebatur, ut iterum ē v. 7.  
 colligi potest. Quidam vero illi fuerint, qui nomi-  
 ne Presbyterorum concilium frequentarunt Hiero-  
 solemitanum, heic in transcuriu liceat disqvirere.  
 Sunt quidem non pauci, Romanæ Ecclesiaz addicti,  
 imprimis Henr. Homandus, & Hierarchici seu  
 Episcopales in Anglia, qui per Presbyteros hosce  
 intelligunt Episcopos, prout scilicet à Presbyteris  
 distinguuntur, & iis superiores sunt. Verum quod  
 nullum ea aitate inter Presbyteros ac Episcopos  
 intercesserit discriminem, ita quidem, ut fuerint illis  
 superiores, ex Act. XX: 17. & 23., ut & Tit. 1: 5.  
 6. 7. longe est evidentissimum. A brevi diver-  
 culo jam redeamus ad ipsam rem. Postquam lis  
 in utramque partem sufficiererat disceptata, Pe-  
 trus demum surrexit, non ut universalis contro-  
 versiarum judex, seu pro auctoritate ac imperio  
 disceptationem compositurus, verum rationes &  
 argumenta producit. Atque tum omnes lingvam  
 continebant, audiebantque Paulum & Barnabam,  
 qui, expositis miraculis, quanta Deus per ipsos in-  
 ter Gentes patrasset, narravere. Quod factum uti-  
 que non fuisset, si propter neglectam circumcisio-  
 nem illi inter profanos essent habendi, vel si parte  
 quadam necessaria cultus Christiani iidem caruis-  
 sent. Cum itaque consiluisserint, h. e. cum nemo  
 eorum, qui adversariam fovebant sententiam, ad al-  
 iatas rationes excipere valeret, tandem quoque  
 Jacobus surrexit, & Petri doctrinam Prophetarum  
 vaticiniis maxime conformem esse adstruxit. Id  
 circa

circo ipse quoque affirmat, non esse opus, eos, qui è gentilismo ad Christum convertuntur, ejusdemodi ritibus defatigare. Attamen ut aliqua in re Iudeis morem gererent, hiisque tanto libentius cum Ethnicis conversis societatem inirent, statuerunt, ut hi ab idolothrysis, scortatione, iussuca & sangvine, rebus lege Mosaica prohibitis, & ex parte legi naturali contrariis, quorum pertinet scortatio, quae tamen inter gentiles impunè ferebatur, a se abstinerent. Huic sententiæ omnes subscripte, etiam, ut apparet, illi, qui antea dissentierant. Itaque non Apollolorum Presbyterorumque nomine solum, sed totius quoque Ecclesiæ literæ ad Ecclesiam Antiochenam synodicas conscribuntur, per deputatos Judam & Silam perferendæ. Qui cum Antiochiam venient, congregata multitudine easdem non velut pro imperio promulgarunt, sed acceptas fratribusque probatas, copiosa oratione commendarunt, eosque confirmarunt.

## §. VIII.

**V**Arie a varijs hac de quæstione, quismam felicit in concilio hocce Hierosolymitano. Præfidis muliere functus sit, disputari solet. Plurimi Papistæ, ut inde Romano Pontifici primatum in universa afferant ecclesia, in eo toti sunt, ut Petrum id secille evincant. Imprimis Rob. Bellarminus sententiam istam inde stabiliri existimat, quod Petrus prius surgit, primus legitur, primus questionem desinit, & omnes, ut ait, sententiam ejus sequuntur. Nec desunt, qui, licet Rom. Ecclesiæ non

adhæreant, tamen Petrum concilii hujus Præsidem  
 fuisse concedunt, cum hoc tamen additamento,  
 quod nihil inde pro primatu Papali adiſfruendo col-  
 ligi qvæat; utpote Itaæ. Cassaubonis & Sam-  
 Basnagijs. Verum longe aliter haec in re ali, &  
 illi qvidem firmioribus argumentis adducti sentiunt,  
 inter qvos Ieh. Lavnojum jam nominare liceat.  
 Qvum enim Lucas nihil aliud de Petro referat,  
 quam quod primus sententiam dixerit; qvumqve  
 Jacobi sententia unanimi consensu approbata sit,  
 nescio certe, quo jure Petrus concilii hujus præses  
 dici qvæat. Præterea Jacobus, non vero Petrus,  
 ut Bellarminus perperam existimat, sententiam  
 definitivam protulit, ea continentem, qvæ à Petri  
 ne verbo quidem tacta fuerant. Digna sunt qvæ  
 interantur verba Alphonsi Tostati, qvum ipse Ro-  
 manæ Ecclesiæ addictus fuerit. Jacobus Alphæi, mor-  
 tuo Christo factus est de precipuis, non quidem simplici-  
 ter, sed in quantum factus est Episcopus Jerusaleni. Et  
 quis minebant omnes Apostoli in regione illa, erant qui  
 dammudo subditi ei. Unde non solum erat unus de preci-  
 puiis, qui videbantur esse columnæ; sed erat maior omni-  
 bus. Et maior Petro, non quidem in quantum Apostolus,  
 sed in quantum Episcopus Jerusalem. Unde in Concilio  
 Hierosolymitano, quod fecerant Apostoli Et tota Ecclesia,  
 non protulit Petrus definitivam Ecclesie, sed Jacobus solus  
 locutus est definitive, velut totius Ecclesie organum, Et quo-  
 libet de assistentibus maior. Ex hice igitur, si præses  
 aliquis concilii istius statuendus sit, eum potius  
 Jacobum quam Petrum fuisse nemo non videt. Quod  
 attinet

attinet ad sermonem Petri, is eo tendit, ut demonstret, jugum legis Mosaicæ non esse imponendum cervicibus eorum, qui ad Christum converuntur, sed eosdem aequaliter ullo discrimine sive fuerint gentiles sive Iudei, sola fide in Christum per gratiam ipsius salvos fieri. Hoc demonstraturus, ad exemplum Cœlētū cœnacionē provocat. Quidam  
 p̄e, viri fratres, inquit, vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus in nobis cogit, per os meum audire gentes verbum evangeliū, & credere. Sunt quidem nonnulli, qui, dum ap̄p̄ iuris auctor dicit, cœlētū Petrum hinc verbis indicare illud electionis decretum, quo ipse ad evangelium adnuntiandum destinatus sit. Verum res est manifesta, Apostolum hic præcipue loqui de electione sua ad prædicandum evangelium gentibus. Imprimis autem respicit ad miraculam illam missionem ad Cornelium, Act. X. commemoratam, ceu factum præsentibus tum notissimum, ut verba: οὐαὶ στινετε innuunt. Atque haec voces ap̄p̄ iuris auctor etiam significare posse. ante aliquot annos, Hugo Grotius ad h. l. recte obseruat. Porro ne hi, qui concilio intererant, dubitarent Cornelium eosque, qui cum eo erant, re-apie credisse, statim subiungit, Deum καρπούμενον manifestissimo testimonio illud confirmasse, nimirum dicit οὐαὶ στινετε τῷ ἀγνώσκοντι οὐαὶ στινετε Quibus verbis Spiritum Sanctum, quoad dona sua extraordinaria, intelligendum esse, nullum est dubium. Unde rectissime concludit, eos, in quos Deus dona ista contulit, vera fide præditos fuisse. Atque

Atque sic, nullum inquit, dissimilem inter nos ab illis, puta gentiles, fecit, cum fide eorum animos purgasset. Quo ipso illud, quod in domo Cornelii professus fuerat: reip'sa deprehendo, Deum non habere personarum rationem, sed in omni gente, qui eum timeret. Et operatur iustitiam, acceptus est illi A.B. Xx 34. 35. optime confirmatum ivit. Postquam itaque Petrus demonstraverat gentiles & que ac Judæos per fidem in Christum Deo gratios esse, ulterius progrederitur dicens: nō misericordia nostra, discipulorum cervicibus impendendo jugum quodque neque patres nostri neque nos potuimus portare. Per jugum, legem, non cæremonialem solum, sed & Moralem intelligi nemini non constat. Loquitur quippe Petrus de ejusmodi jugo, quod nemo unquam mortalium ferre potuerit. Lex cæremonialis ob multas ac graves suas præstations, jugum appellari potest, & quidem tale, quod non absque molestia ac insigni difficultate portabatur. Verum, quod nullus usquam mortali-um extiterit, qui eandem exacte observaverit, dici vix potest. Ast de lege Morali illud prorsus verum est, & quidem propter imbecillitatem carnis, Rom. VIII. 3. Et sic tandem Petrus, ostendo errore, veram salutis conseqvenciam rationem sic explicat: Ad hanc huc xdest. & nunc in nos xestu salvati nos credimus. Quæ verba plane diversum à priori salutem obtinendi modum nos condocent, scilicet per gratiam; non gratiam insusam, quam Rom. Ecclesiæ addicti communiscuntur, seu dona gratiæ, quæ Legi opponi nequeunt; sed eam gratiam

18

qvæ in Christo, sive per Christum, omnibus meri-  
tum ejus fide apprehendentibus offertur, ut per  
illam, absqve ulla operum Legis justificatione, re-  
missionem peccatorum, salutemqve conseqvantur  
æternam.

§ IX.

**X**posito sermone Petri, ulterius progrediendo,  
nostræ ad sententiam Jacobi considerandam  
accingimus. Erat hic Jacobus, non filius ille Ze-  
bedæi, fraterque Johannis, qvi, qvod prior ad mu-  
nus Apostolicum vocatus sit, major appellabatur,  
qvippe jam antea, qvam concilium hocce exsti-  
tit, ab Herode Agrippa decollatus, Act. XII: 24  
sed fuit hic filius Alphæi frater Iosephi Iudæ & Si-  
monis, Matth. XIII: 55, minorque appellatus, qvi  
frater Domini quoqve vocatur Gal. I: 19. Nonnulli  
Jacobum hancce Alphæi filium Episcopum Hie-  
rotolymæ fuisse tradunt, qvatesus scilicet per lon-  
gius aliquid temporis spatiū munere suo aposto-  
lico ibidem functus sit. Nos vero hanc rem in  
medio relinqvimus. Et ne justo prolixiores, in  
exponenda ipsius oratione, simus, qva Simonis Pe-  
tri sermonem de gentilium conversione confirmat,  
qvam à Prophetis prædictam fuisse moneret, his  
missis, sententiam ejus de abstinentia ab idolorum  
hostiis, & sangvine, & suffocato & scortatione  
breviter duntaxat consideremus. Qvod itaqve ad  
membrum decreti hujus apostolici primum attinet,  
Lucas idem in v. 20. ita exprimit: *κηρυγμα αποστολικον τον*

αλισυγχράτων τοι εἰδώλων, ut abstineant à pollutionibus ἱερῶν,  
 & in v. 29; Απόχεσαι εἰδώλοθύτας, seu abstinen-  
 tia ab iis, qua idolis sunt sacrificata. Εἰδώλοθύτα dicitur  
 certum ciborum genus, qvod superstitione gentili-  
 um idolis immolabatur. Qvibus cum illis temporib⁹  
 freqvens daretur occasio vescendi, consultum me-  
 rito Apostoli ducebant eos, qui ex gentilismo ad  
 fidem Christianam conversi erant, admonere, ut  
 iis abstinerent. Idola colere legē Divina graviter  
 est prohibitum; velci autem his, qvæ idolis im-  
 molata sunt, simpliciter & in universum non est il-  
 licitum Rom. XIV; & 1. Cor. VIII; attamen cum  
 Judæi vehementer illud abominarentur, charitatis  
 & qve ac prudentiæ erat, ab eodem fœle abstinere;  
 ne vel infirmi offenderentur, vel nondum conversi  
 ab amplectendis Christianorum sacris abducerentur.  
 Alterum decreti apostolici membrum est: απέχεσαι  
 αἴρας abstinentia à sanguine. Haud pauci hoc  
 non de eius sangvinis, sed effusione ejus sive homi-  
 cido accipi volunt. Verum qvis hoc nobis per-  
 suadebit, conversis gentilibus ignotum fuisse, qvod  
 ex ipsa ratione omnibus constat hominibus, ho-  
 micidium esse illicitum, ut de hoc tandem per  
 decretum illud apostolicum esent instruendi? Qui  
 iterum de eo consentiunt, qvod sangvinis eis hic  
 conversis ethniciis prohibitus sit, de fundamento  
 tamen seu ratione prohibitionis hujus minime inter-  
 se consentiunt. Nonnulli quippe rationem in-  
 de derivant, qvod cum Christiani tum ethnici pri-  
 scis temporibus censerent, dæmones sanguine vesci,  
 eidem

eidemque velut alimento dulcissimo inhiare; quidam vero, ut convesi ex gentilibus omnem exuerent crudelitatem, & homicidia evitare consenserentur; sicuti alii aliud quid fingebant. Verum quod Apostoli sive decreti hujus apostolici auctores, dæmones sangvine vesci tenserint, ac ideo conversos è gentilibus ab esu ejusdem abducere voluerint, vix ac ne vix quidem crediderim. Opus itaque heic non est ambagibus quibusdam. Etenim cum satis notum sit, Judæos tam vehementer ab esu sangvinis abhorrire, ceu à Deo gravissime illis interdicto: gratificandum utique hoc infirmitati eorum erat, ut ethnici, qui religionem Christianam amplecti volebant, ab esu ejusdem etiam lese abstinerent. Quæ ratio cum satis prægnans esse videatur, quid quæso, aliam quandam excogitare opus est? Tertium decreti apostolici membrum est: *A'πέκει τὸ πνεύμα ἀβstinētia & suffocatio.* Ratio hujus prohibitionis haud dubie eadem est. Nam, qui suffocato vescitur, etiam vescitur sangvine; Iudei vero ab esu sangvinis adhorrebant; itaque ut conversi ex gentilibus à suffocato æque ac sangvine abstinerent, infirmitatis Judæorum causa id prohibitum esse, cuilibet constat. Quartum deinde que seu ultimum decreti hujus apostolici membrum est: *A'πέκει τὸ πνεύμα, seu abstinentia & scorsatione.* De vocis hujus, quam hoc loco obtineat significatione, diversissimæ proferuntur sententiæ. Nos vero absqve ambagibus quibusdam in usitatâ receptaque ejus significatione, quæ generaliter sum-

ta omnem concubitum illicitum, ac lege Divina  
 prohibitum denotat, manemus. Sic pro incestu  
 sumitur 1. Cor. V: 1. pro adulterio, Matth. V: 12.  
 pro fornicatione seu concubitu cælibis cum innu-  
 pta, Col. II: 5. Eph. V: 3. Gal. V: 19. Vitia hæc  
 ce licet ex lumine rationis omnibus inno-  
 scant hominibus, varias tamen inter gentes non im-  
 pune tantum frequentata sunt; sed prorsus quo-  
 que in consuetudinem abiere. Potuit itaque haud  
 quidquam consultius esse, quam ut Apostoli conver-  
 sos è gentilibus, ne vitiis istiusmodi nefandis sese  
 contaminarent, admonerent. Ex his, quæ de de-  
 creto concilii Hierosolymitanæ commemoravimus,  
 quæstio ista, num decretum hoc quoad abstinen-  
 tiam à sangvine & suffocato christianos adhuc ho-  
 die obliget, exoriri potest. De idolothyris atque  
 scortatione nulla est controversia, quandoquidem  
 illa, saltem iis in locis, quibus omnes Christiani  
 sunt, cessavere; hæc autem lege divina prohi-  
 bita est. Quod itaque ad quæstionem hanc attinet,  
 dudum illa inter eruditos est agitata & imprimis  
 veteres Christianos decretum hoc de non comedendis  
 sangvine & suffocato religiose obiervasse con-  
 stat. Verum si dicendum quod res est, Christia-  
 ni veteres mentem hac in re Apostolorum haud  
 recte intellexisse videntur. Quippe si rationem de-  
 creti hujus rite pensaremus, illam nullam aliam es-  
 se novimus, quam ne Judæi offenderentur, con-  
 versionique eorum nullam poneretur impedimen-  
 tum. Cum itaque ratio hæc dudum sit sublata,  
spon-

sponte sua sequitur, Christianis, sua hac in re uti libertate, licitum esse.

§. X.

Primitatis tum rationibus, quibus Apostoli evi-  
denter satis dogma illud de observantia legis  
ritualis Mosaicæ confutarunt, tum decreto hu-  
jus concilii, quædam de epistola illa synodica  
tandem addamus. Postquam de universo negotio  
constitutum erat, epistola, non nomine Aposto-  
lorum presbyterorumque solum; sed totius ec-  
clesiæ, id est, omnium, qui in concilio isto  
adfuere, conscrihebatur, ut Lucas diserte v. 22.  
testatur. Unde, ut jam antea monuimus, senten-  
tia eorum, qui laicis jus in conciliis sententiam  
dicendi denegant, corrui. Deinde epistola hæc  
per viros delectos, scilicet Iudam cognomine  
Barsabam & Silam, Antiochiam mitteba-  
tur. Erat hic Judas, juxta nonnullorum sen-  
tentiant, frater Josephi Barsabæ, cuius mentio  
Act. I: 23. occurrit; Silas autem, qui à Paulo  
loso Barnabæ adsumitus, itineribus variis illum co-  
mitabatur Act. XV: 40. Vocantur hi præterea αι-  
δης ιησους επ της αδιλοτης, & deinceps v. 32.  
prophetæ. Quibus ex verbis colligi potest, quod  
non solum doctorum munere functi sint, ut b. Lu-  
therus vocem ιησους interpretatus est, quamque  
significationem vox ista in Hebr. XIII: 7. 17. obti-  
net; verum etiam quod singulari dono S. S. inter-  
pretandi prædicti fuerint, quemadmodum vox πνευ-  
ματικæ istud satis indicat. His, ne ullus de senten-  
tia

tia concilii locus dubitationi relinqueretur, literæ istæ synodicæ traduntur, qvæ cum Antiochenis eum universæ Syriæ & Cilicis Ecclesiis essent perferendæ: ut pateat, qvam late pervalerit erroris i-stius contagio. In literis hisce primum occasio decreti hujus exponitur: *Audivimus, quod quidam à nobis egressi vos sermonibus turbarunt, labefactantes animas vestras, dicendo, circumcidendos esse, legique parendum, quibus non mandavimus.* De occasione hac, & qvinam turbatores isti fuerint, ad §. VI. jam ob-servavimus. At cum Apostoli dilerte dicant, se e-juscemodi qvid illis non mandasse, videtur inde colligi posse, turbatores hos, in explanando suo dogmate, nomine Apostolorum abuös fuisse. De- inde quoque Pauli & Barnabæ auctoritatem adver-sus calumnias pseudoapostolorum vindicant, sibi- que agitant esse ostendunt, h. e. in fide consenti- entes, nec perperam de lege & ritibus docentes; ita, in doctrina Christi sinceros tamqve fervidos, ut non dubitaverint vitam pro fide Christi expo-nere. Qvod autem ad ipsum attinet decretum, de illo satis ad §. præcedentem egimus; idcirco ver- ba eidem præstructa: *εἰδέτο οὐδὲν πειναστὴν τοῦτον*, heic duntaxat observabimus. Hisce verbis quidam, conditores decreti, cum caussam ejus principalem tum instrumentalem, indicare voluisse contendunt; nonnulli vero, qvod, cum sententia Spiritus San-cti priscis oraculis expressa, tum auctoritas Apo-stolorum, unde Judæi dogmati suo robur arcessere conabantur, prorsus in contrariam abiit sententi-

am. Clauditur tandem epistola : Εξ ὧν διατηρεῖντον  
 αὐτὸς, οὐ μάζην, ἐπόμενον. Hac clausula Apostoli ostendunt, se non legumlatores, sed doctores Ecclesiae fuisse, neque aliter hac in re se gessisse. Postquam itaque deputati hi Antiochiam pervenerant, &c, congregata multitudine, literas hanc eidem tradiderant, pax & tranquillitas Ecclesiae, haud absque insigni ejus gaudio ac consolatione restituta est. Et licet non omnes in decreto isto concilii Hierosolymitani acquievere, quod certamina, quae Apostolo Paulo cum adversariis suis deinceps subeunda erant, satis indicant; magna tamen commoda inde in Ecclesiam redundasse scriptor sacer, dum fratres confirmatos fuisse dicir, testatur. Plura de argumento hocce peramplo adferri potuissent; ast cum institutum & facultates id vetent, vela heic contrahere, & in portum navelam subducere cogor. De cætero, ex imo peccoris fundo optamus, velit D. T. O. M. hæc omnia in sanctissimi Nominis sui gloriam, nostramque vergere salutem! Cui soli sit laus, honor & gloria!



